

praeputio, id est, glandi similis, altera vero parte pennam refert. Pars illa crassior, quae glandis specie est, rimas aliquot habet, quales sunt branchiarum rimae in galeis. Quae pennam repraesentat, festucis tenuibus constat, quae alumini scissili similes sunt: iis, substantia alia quadam tenera innititur. Noctu maxime splendet, stellae modo, ob candorem et laevorem. Pennam marinam aliam rubentem, linea per medium caulem alba, fronde simili ferre, sed parte altera, quae fronde caret, longiore, simplici, nulla cum glande dissimilitudine.

Uvae marinae facit et Plinius mentionem, dum scribit: Rerum qui-

dem non solum animalium simulacra mari inesse, licet intelligere intuentibus, Uvam, Gladium, Seras. Est autem oblonga quaedam et informis massa, ex uno pediculo dependens. Partes internae indiscretae sunt, inter quas aliquando reperiuntur glandulae parvae. In vino putrefacta vini taedium adfert, ut Plinius prodidit.

Malum insanum marinum, et *Manus marina*, a similitudine quoque nomen obtinere.

Cucumis, digiti est crassitudine et longitudine, tuberculis aliquot aspersis, veluti in Cucumere terrestri parvo. Partes internas indiscretas habet.

F I N I S.

